



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XLVIII. Epistola Episcoporvm Armeniæ Primæ, Ad Leonem Imperatorem.
Piissimo & Christianissimo imperatori, victori, semper, Augusto Leoni,
Ioannes, Gregorius, Auxentius, Eustathius, Epiphanius, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO CHRISTI 431.
te quoque tunc temporis ipsi venerando Concilio sanctæ
piæque memoriam Marciano, & sacratissimo Christianissi-
moque senatu. Vnde sanctorum patrum sequimur per
omnia voluntatem. Nos ergo vestræ pietatis iussionibus
omni virtute velociter ministravimus. Dominus autem
omnium & protector Christus conferuet vestræ pietatis
imperium, ut ad tempora longa procedat: quatenus ve-
stra tranquillitate salua, in pace Dei sanctissimæ ecclesiae
& totius orbis terræ consistat.

Euoptius humilis episcopus metropolis Cyzici, incolumem pro-
pter omnes vestram pietatem & longo tempore conseruari, sanctam
& consubstantialem deprecans Trinitatem, subscripsi.

Petrus episcopus Dardani, similiter.

Timotheus episcopus Ceramensis, similiter.

Thalassius episcopus Parii, similiter.

Dauid episcopus Andrianæ, similiter.

Pionius episcopus Troadis, similiter.

Alexander episcopus Occæ, similiter.

Theosebius episcopus Ilii, similiter.

Hermias episcopus Abydi, similiter.

Patricius episcopus Adrianotheres, similiter.

Sotominus episcopus Miletii, similiter.

Polytenus episcopus Scepsii, similiter.

Sabbas episcopus Poniae, similiter.

Armonius episcopus Lampsaci, similiter.

Ioannes episcopus Poemaneus, similiter.

Domininus episcopus Varenus, similiter.

XLVIII.

EPISTOLA EPISCOPORVM ARMENIAE

PRIMÆ, AD LEONEM IMPERATOREM.

Piissimo & Christianissimo imperatori, victori, semper Augusto
Leoni, Ioannes, Gregorius, Auxentius, Eustathius, Epiphanius,
episcopi primæ Armeniæ, in Domino salutem.

DEVS verus Dominus noster Iesus Christus semper
optima naturæ humanæ dona concedens, nullum
tempus sine sua prouidentia dereliquit. Qua gratia e-
tiam nunc fidei veræ prospiciens, quæ nostræ salutis
spes est, in te pio & Christianissimo principe quodam se-
cundo Dauid, cornu imperii reclinavit: quem sibi no-
uit religiose a cunabulis seruiturum, hunc sua sententia

Concil. Tom. 9.

Xx ij

in omni orbe terrarum imperare fanciuit : quatenus ex
 vestro imperio profluerent bona subiectis , & vbique pie-
 tatis prædicatio præualeret, vestra vtique mansuetudine
 nihil aliud præter fidem sceptræ regalia iudicante. Qua-
 rum rerum testis est & præsens zelus , & studium illa fir-
 mandi, vnde firmitas vestri accedat imperii. A Deo nam-
 que vnctus in regem, mox ei qui vnxit, ipsa principia com-
 mendasti, optime satis cogitationibus simul & vocibus ei
 deseruiens; & vt hæc bene consisteret, præteritis omnibus
 apud cunctos pro fide orthodoxa decertatus es, omni scilicet
 mala secta prorsus expulsa atque sublata , in idem
 conuenientibus & adiutuicem concordantibus, qui nuper
 (quod fieri non oportuerat) videbantur esse diuini. *Quia* vt
 proficit vestra pietatis intentio , ad vnam reduxisti ec-
 clesiam non solum eos qui per dissensionem noua passio-
 ne languebant, sed etiam eos, quorum erat a priscis tem-
 poribus mens corrupta, & a recta & regia via recedentes,
 ad loca prava & spinosa blasphemii erroris abierant: vt fe-
 cundum euangelicam vocem , omnes ecclesiæ vnum o-
 uile consisterent , & unus pastor Dominus Christus esset.
 Sed hæc quidem omnia proueniant in vestro semper im-
 perio. *Quia* vero & meæ simul humilitati piis literis estis
 iubere dignati, vt quid sentiam de his quæ in Alexandria
 facta sunt, manifestem, licet & exaggeratio rerum ibi ge-
 starum neque sententia tribuit facultatē , caligine rerum
 tristium mentibus obumbrante: hoc tamen vobis insinuo,
 quia si vera sunt quæ in precibus religiosissimorum epi-
 scoporū & clericorum Ægyptiacæ dioecesis continentur,
 & auctor Timotheus inuenitur tantorum & talium scele-
 rum, quæ propter nimietatem, vt arbitror, non creduntur,
 alienus a sacerdotio cum his qui similia perpetrarunt, a-
 pud sanctos Canones iudicabitur. Et hæc quidem de his
 quæ in Alexandria gesta sunt, cum sancto Concilio quod
 mecum est, deliberans, religiositati vestra significauit. Fidem
 vero solam trecentorum decem & octo sanctorum pa-
 trum, qui Dei gratia conuenerunt in Nicæna vrbe sub pīe
 memorie principe Constantino , seruamus, qua ab infan-
 tia sumus imbuti, & in sacerdotio alios imbuere nouimus;
 quamque & post hæc episcopi congregati in ciuitate regia
 firmauerunt, & propriam iudicarunt, & ipsa sibi coopera-

ANNO
CHRISTI
451. trice vtentes, & doctrina diuinitus inspirata, sancti scilicet Spiritus blasphemias & zizania radicitus amputantes: quamque nihilo minus & definitio a sancto Calchedonensi Concilio explanata firmauit, præcipue repugnans vesania nefandi Nestorii, & sanctam Synodum quæ Ephesi est celebrata, confirmans, cuius praefules fuerunt Deo amabiles & sanctissimæ memorie Romanorum & Alexandrinorum episcopi, Cælestinus & Cyrillus, qui maxime aduersus sceleratam blasphemiam Nestorii suis responsionibus doctrinisque claruerunt: quorum epistolæ aduersus eumdem impium Nestorium ad orientales vniuersos datae, & ab eodem sanctæ memorie Cyrillo contra eumdem Nestorium anathemata proposita, sunt firmata atque roborata. Igitur indicamus prolatam definitionem a sancto Calchedonensi Concilio, non sicut fideis symbolum, sed sicut definitionem esse positam, ad peremptionem * Nestorianæ vesaniae, & exclusionem eorum qui salutem incarnationis Domini nostri Iesu Christi denegare noscuntur: & agnoscant omnes qui ob hoc scandalum patiuntur, quia neque nos post orthodoxum symbolum a trecentis decem & octo sanctis patribus traditum, aut augmentum, aut diminutionem in his quæ sunt perfecte & a sancto Spiritu definita, suscipimus, fidem aliam neoscimus: quia neque est, nec patimur hoc audire, licet quidam esse dicant. Si vero quibusdam volunt calumniari verbis, etiam hoc vestræ serenitati indicare confidimus, quoniam ea quæ illis videntur esse dubia ad intelligendum, sic respicere noscantur effectum. Sunt enim quædam in definitione, quæ recte intelligentur orthodoxa: sunt vero aliqui, qui si ea aliter velint aspicere, inuenient hæc sensus dubios parientia. Multi quidem & scripturas diuinæ non intelligentes sicut scriptæ sunt, propria blasphemiae dogmata genuerunt: quos Dominus Christus sua clementia, ut sacra pietatis vestræ prudentia diligenter conuertat, & vere prædicare verbum veritatis edoceat, & hoc sapere quod sancta dictat ecclesia, cuius caput quidem est Christus, vos autem robur ac fundamentum, imitantes immobilem Christi petram, super quam omnium creator ecclesiam suam ædificans, omnibus Christianis pietatis requiem condonauit: qui etiam

ANNO
CHRISTI
411.

vestram serenitatem semper conseruare dignetur in talibus vigilantem, & insidiantem bestiam Christi ouilibus a septis fidei orthodoxae repellentem. Credimus enim, quia postquam nostris literis haec indicauimus, cuncta veritatis via & omnis modus vestrae panditur pietati, quatenus sopianunt scandalum, & ad rectam fidem membra discordantia reducantur, Domino Christo desuper quadam inspiratione vestram tranquillitatem ad bona omnia deducente.

Ioannes episcopus misericordia Dei Sebastæ metropolis sanctæ Dei ecclesiæ, manu mea subscribens, secundum sanctionem vestrae pietatis prædictam, epistola meam sententiam nuntiaui, quam habeo pro fide trecentorum decem & octo sanctorum patrum in Nicæa conuenientium, quam & sanctum Calchedonense Concilium confirmauit: simul & pro Timotheo, quem preces his aduersarium ostenderunt: & conseruari vestram potestatem temporibus longis exopto.

Ioannes episcopus Nicopolitanus, similiter.

Gregorius episcopus Sebastopolis, similiter.

Maxentius episcopus Barissaræ, similiter.

Eustathius episcopus Colonæ, similiter.

Epiphanius episcopus Ataleni, similiter.

X L I X.

EPISTOLA EPISCOPORVM ARMENIAE SECUNDÆ, AD LEONEM IMPERATOREM.

*Religiosissimo & piissimo & Christianissimo imperatori, semper
Augusto Leoni, Otrius, Acacius, Ioannes, Adelphius,
Hormisda, Longinus, secundæ Armeniæ episcopi,
in Domino salutem.*

1. Ep. 1.

Devs qui glorificantes se glorificat, secundum cor suum apicem vestrae tranquillitatis inueniens inexpugnabilem palmam & honorem fidei consistentem, placidus præbuit vobis, Christianissime principum, super omnes homines sine prohibitione aliqua potestatem. Insurgentes enim inopinabiliter subdidit victoriis atque incomparabilibus triumphis, & vestram pietatem excellentissimis honoribus exornauit, immutata & sine litio, & ab aliis indiuisa præbens sceptrum vestri imperii, ut